



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 15. Circa fidei diuinæ habitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

22 Theologiae Moralis. Liber XLVII.

est, credere Deo dicenti, in quo actus fidei diuinae consistit: & non est actus fidei diuinae, assentiri propositioni reuelatae, eam inferendo expressis, in quibus reuelatio ipsa diuina sit medium, hoc enim non est credere Deo dicenti; sed est, intellectum assentiri propositioni reuelatae absque aliquo obiecto formali, seu motiui formali immediato ex eo solum, quod intellectus assentitur praemissis obiectiuis, & connexioni obiectiuae propositionis à Deo reuelatae, cum ipsis praemissis, ex quibus inferitur ipsa propositio reuelata concurrentibus praemissis obiectiuis, & connexionem ipsa obiectiua propositionis reuelatae, ex illis quidem illatae tanquam causa extrinseca remota, (quae potest dici rationalis) seu tanquam motiui formali extrinseco remoto. Ita Caiet. 2. 2. question. 1. articuli. 1. Suar. de fide, dub. 6. sect. 4. Valent. tom. 3. dub. 1. punct. 2. Coninch de fide, disp. 9. dub. 7. Granad. tr. 9. d. 1.

162
Verius hoc
mihi.

Verius hoc mihi abneganti, eum, qui credit propositionem in se ipsa reuelatam ob diuinam reuelationem assentiri ipsi propositioni quia assentitur reuelationi diuinæ: sed immediate, quia Deus reuelat; ipsa enim reuelatio est quae immediate mouet tanquam obiectum formale ad ipsum assensum fidei, quia reuelatio propositionis, est apta, ut immediate moueat ad sui assensum, utpote reuelatio, seu narratio immediata, & formalis ipsius propositionis reuelatae. Admitto autem in credente fide diuinam interuenire illum discursum siue expressè siue confusè, nempe *Quidquid Deus dicit, est verum: sed Deus dicit, se esse trinum, & unum: Ergo Deum esse trinum & unum, est verum.* Nihilominus assensus huius conclusionis ut illatae ex praemissis non est fidei diuinæ, sed alius assensus, qui aliquando est incertus, & obscurus, quando scilicet minor est incerta & obscura: & euidentia euidentia in attestante, nempe quando minor discursus est certa, & euidentia. Assensus tamen dictae conclusionis est fidei diuinæ: quando elicitur immediate ob diuinam reuelationem immediate applicatam assensui minoris, etiam quando assensus est incertus. Quia tunc assensus immediate elicitur ob diuinam reuelationem non innititur assensui incerto reuelationis, adhuc tanquam causalitari seu influxui reuelationis ipsius: tunc enim assensus iste, seu iudicium reuelationis tantum est conditio: sed solum innititur reuelationi diuinæ tanquam motiui formali immediato, cui falsum subesse non potest.



CAPVT XV.

Circa Fidei diuinæ Habitum.

D V B I V M XIV.

An de fide sit esse habitum Fidei à solo Deo infusum.

THEOLOGICI à tempore. Concilij Viennensis sub Clemente V. (in quo opinio admittentium habitum fidei, spei, & Charitatis à solo Deo in Baptismo infusos, approbata fuit ut probabilior) conueniunt, in homine fidei inesse habitum fidei à solo Deo per se infusum. Quia est maxime conueniens, & suauis Dei providentiae admodum conforme, ut ad actus supernaturales fidei diuinæ à Deo similis habitus infundatur, quo potentia informata, & adiuta, eos quoad substantiam connaturaliter eliciat. Quæstio itaque num sit de fide, esse habitum fidei à Deo solo infusum?

Est de fide. Quia id in scriptura continetur præsertim 1. Cor. 13. *Nunc autem manent tria hæc Fides, spes, & Charitas.* Et quia id definitur in Trid. sess. 6. c. 7. dum dicitur, *In ipsa iustificatione hæc omnia infusa accipit homo Fidem, spem, & Charitatem.* Quod intelligendum est de habitu, præsertim propter particulam, *Infusa*, quæ non conuenit actibus, sed habitibus. Sic Vega l. 7. in Trident. c. 24. Valent. 1. 2. d. 4. q. 1. punct. 4. Suar. l. 6. de grat. c. 3. & 8.

Nō est de fide. Quia id ex traditione aliqua Ecclesiae non constat, ut patet, neque aliqua definitione. Nam si alicubi, maxime in præfato Tridentini loco. Ibi autem (ubi tantum est sermo de adulterorum iustificatione) per fidem sufficienter intelligitur actus: nā in adulterorum iustificatione semper actus fidei reperitur. Cui nō obstat particula illa *Infusa*. Quia etiā actus dicitur infundi à Deo ratione auxilij prærequisiti, quod Deus in nobis sine nobis libere operantibus operatur. Ita Medina 1. 2. q. 110. a. 2. Valq. 1. 2. d. 79. c. 1. Montefin. d. 12. q. 1.

Profecto esse habitum fidei à Deo infusum de fide esse minime reor, neque obiectum assensus Theologici puri, nec perfecti: (& multo minus esse habitum fidei per se infusum, id est, qui sua natura nequeat produci nisi à solo Deo.) Vnde negare huiusmodi habitum hæresis non est, imo nec error. Attamen iam existimo temerarium esse, Quia est contra torrentem Theologorum sine firmissimo in oppositum fundamento.

D V B I V M XVI.

An actus Fidei possit potentia Dei absoluta absque concursu habitus fidei infuso elici.

SUPpono, non tantum intellectum, sed etiā habitum infusum fidei esse principium efficiens actus fidei supernaturalis: & ad id habitum à Deo infundi, ut iouet intellectum, & eum ad actum fidei eleuet, qui quidem est supra eius physicas vires. Quia in actu fidei

fidei non tantum est ratio vitalis, & intellectiōis quæ correspondet intellectui ut principio efficienti; sed etiam in eo est ratio naturalis, quæ debet habitui correspondere, ut principio efficienti supernaturali actui ipsi proportionato; non enim est aliud, cui ratio supernaturalis respondeat, ut principio efficienti. Quærim tamen, an actus fidei diuine de potentia Dei absoluta possit absque concursu habitus infusi esse.

163 Minime potest. Quia actus fidei utpote actus intellectus est vitalis, & immanens, ac proinde essentialiter dependet à suo vitali principio, & intrinseco, seu in ipsa potentia inherente: sed non solum intellectus est principium intrinsecum actus fidei, sed etiam habitus non minus quam intellectus: Ergo actus fidei dependet essentialiter non solum ab intellectu, sed etiam ab habitu ea parte, quæ est principium intrinsecum. Ergo de potentia Dei absoluta nequit elici absque habitus concursu, à quo essentialiter dependet: si autem nequit absque concursu intellectus, quia ab eo dependet essentialiter. Sic Capreol. in 4. dist. 49. question. 4. Sotus question. 1. artic. 4. Ferrar. lib. 2. contra Gent. cap. 54.

169 Potest omnino. Quia habitus infusus fidei tantum concurret ad actus, ut principium efficiens, & non ut vitale principium: verè enim non est tale, cum non sit potentia alicuius vite substantialis: Ergo potest à Deo suppleri, per se ipsum concurrente absque creatio aliquo tam extrinseco, seu inherente intellectui quod loco habitus concurrat. Quia Deus proculdubio potest se solo efficere quicquid causa quilibet efficiens non vitalis potest, quamuis illud sit immanens: & ob eandem rationem actus ipsi, & Charitatis possent de potentia Dei absoluta elici à voluntate absque habitibus infusis ipsi, & Charitatis, Deo ipso supplete efficientia habituum: quamuis suppleri nequeat, voluntatis efficientia, quia sit actus vitalis, qui eo ipso esset essentialiter à principio intrinseco vitali dependentes. Ita Paludan. in 4. dist. 49. q. 1. a. 2. Vasq. 1. p. d. 46. Turrian. 2. 2. d. 38. dub. 1. Petr. Hurtad de Mendoza de fide, d. 126.

170 Hanc sententiam defendo. Nam ex eo quod actus fidei sit vitalis solum probatur, quod nequeat produci absque intellectu, qui est principium vitale: non autem quod nequeat produci absque habitu quauis inherente intellectui, habitui enim non correspondet peculiariter ratio vitalis neque intellectiōis, sed tantum intellectui tantum correspondet ratio supernaturalis, quæ non exigit principium efficiens vitale neque intrinsecum inherens, ut patet. Quod vero tunc, quando Deus supplet vices habitus, & concurret, non solum ut causa vniuersalis, sed etiam ut causa quasi particularis, intellectus concurrat ut instrumentum eleuatum à Deo, non obstat, ut actus fidei sit liber, ac meritorius; quia non obstat, ut etiam tunc intellectus libere à voluntate moueatur.

DUBIUM XVII.

An habitus infusus Fidei sit virtus intellectualis?

171 **H**abitus fidei infusus non est proprie, & strictè intellectualis virtus. Quia virtus est dispositio perfecti ad optimum, ut significat Aristot. 1. 7. Physic. tex. 17. At habitus fidei diuine non est dispositio, neque principium ad optimam cognitionem: non enim est ad cognitionem euidentem, sed tantum ab obscuram. Ergo, &c. Sic Durand. in 3. dist. 23. q. 6. Et indicat Arist. 1. 6. Ethic. dum enumerans virtutes intellectuales, nullam fidei gerit mentionem.

Habitus fidei diuine est proprie, & strictè intellectualis virtus. Quia ad rationem virtutis intellectualis sufficit, quod sit habitus intellectui ad verum indefectibiliter (id est, semper ad verum, & nunquam ad falsum) ut docet Aristot. lib. 6. Ethic. cap. 2. & 3. Habitus autem fidei diuine inclinat intellectum ad verum indefectibiliter, sine semper in verum, & nunquam in falsum: quamuis non attingat illud cognitione euidenti, sed tantum obscura. Ita Suarez de fide, d. 7. sect. 1. Turria. d. 4. dub. 1. Adam q. 6. dub. 2. Granad. 1. 12. d. 2. Vasq. 1. p. d. 5. cap. 4. Hurtado de Mendoza dub. 55. de fide.

Hoc verius esse reor. Porro Aristoteles ex eo quod enumerans virtutes intellectuales nullam fidei gesserit mentionem, indicat, fidem humanam quam ipse cognouit non esse virtutem intellectualem: merito quia est fallibilis & non indicat, fidem diuinam non esse intellectualem virtutem. Quomodo enim eam inter intellectuales virtutes annumeraret, quam minime cognouit: Præterea Dispositio perfecti ad optimum non definitur ab Aristotele virtus: sed tantum portulit illa de robore, & pulchritudine, de quibus dixit (& verè) esse dispositionem, quibus optimum nempe natura perficitur.

DUBIUM XVIII.

An habitus infusus Fidei amittatur vno vel altero peccato infidelitatis, si quis in aliis positine credat?

174 **N**on amittitur vno, vel alio, imò multis infidelitatis actibus habitus fidei infusus, si hæreticus, verbi gratia, non discedat in omnibus, sed in aliquo, vel in aliquibus positine credat. Quia Catholicus, qui errore circa aliquod obiectum fidei sit hæreticus, eadē facilitatē, & firmitatē reliqua credit, quæ illa ante hæresim credebat: Ergo credit eodem habitu fidei; ab habitu enim facilitas ac firmitas illa desumitur. Sic Durand. in 3. dist. 23. quest. 9. Gloss. ad c. Firmiter de summa Trinit.

Amittitur quidem vel vnicò infidelitatis peccato. Quia id Tridentinum sess. 6. capit. 15. asserit.

Amittitur quidem. asserit dum ait in fidelitate fidem amitti. Nominem enim fidei intelligitur habitus infusus fidei: & nomine infidelitatis illud peccatum hæresis, quo quis discedit Deo in aliquo, quâdis in aliis positivè credat: est enim vera & absoluta infidelitas. Ita omnes Theologi præter Durandum, teste Gaspare Hurtado de fide d. 5. diff. 8.

¹⁷⁶ *Longe hæc probabilior sententia.* Longe hoc probabilius. Concedo enim, Catholicum, qui errore circa aliquod obiectum fidei sit hæreticus, si reliqua credat ob divinum testimonium, eadem firmitate ac antea credere. Hæc autem firmitas non provenit actui fidei ex habitu infuso, quia ex hoc non credit quovisq; esse infidelis desinat: sed provenit ex divino testimonio, ob quod credit, quia ei falsitas omnino repugnat. Item fateor credere illum ferè eadem facilitate, ac antea, si eam antè hæresim habuit. Hæc tamen facilitas non provenit ex habitu infuso: sed tantum acquisito actibus supernaturalibus fidei: ex quo etiam provenit firmitas: non sumpta proinde fallibilitate, quia hæc provenit ex divino testimonio: sed sumpta pro immobilitate, qua habens habitum acquisitum credit: siue habitus iste acquisitus sit naturalis, quoad substantiam, ut nonnullis placet: siue supernaturalis, vii ego existimo, qui quidem quamvis supernaturalis non concurrat ad actum substantiam, sed ad eorum facilitatem: & est diuina speciei ab infuso, eoque imperfectior: imo & imperfectior ipsis actibus supernaturalibus; quia ab ipsis efficienter, ut à causis principalibus æquiuocis, producit.

DVBIVM XIX.

An possit quis certo evidenter cognoscere, se Fidei divinæ actum habere?

¹⁷⁷ *Potest plane.* Potest quidem. Quia nihil possumus magis evidenter experiri, quam nostri intellectus actum: actus autem fidei divinæ est intellectus nostri actus. Ergo potest quis certo cognoscere, se fidei actum habere. Sic Bonaventura in 4. dist. 23. dub. 4. Vega l. 9. in Trident. cap. 37. Favet. D. August. lib. 13. de Trinit. cap. 1. dum ait, *Video, me credere, si credo.* Et iterum *Fidem, quando inest nobis, videmus in nobis.*

¹⁷⁸ *Non potest.* Minimè potest. Quia actus fidei divinæ est assensus elicitus ob revelationem divinam verè, & re ipsa factam, & non tantum apparentem: Fidelis autem quamvis evidenter cognoscit, se credere ob revelationem divinam: non autem cognoscit evidenter se ob revelationem divinam credere verè & re ipsa factam: quia non habet evidentiam illius: Ergo non cognoscit evidenter se divinæ fidei actum habere. Ita Valent. lib. 2. d. 8. question. 4. punct. 4. Paragraph. 6. Coninch. de fide disp. 14. dub. 14.

¹⁷⁹ *Cum his opinor.* Cum his opinor. Nam D. Augustinus solummodo asserit, & ratio primæ sententiæ tantummodo probat fidelem evidenter posse cognoscere, se credere ob revelationem divinam non tamen evidenter cognoscit, se credere

ob revelationem divinam verè, & re ipsa factam, ut fert nostræ sententiæ fundamentum.

DVBIVM XX.

An fidelis certo cognoscat actum Fidei divinæ se actum Fidei habere?

¹⁸⁰ *Cognoscit quidem.* Cognoscit quidem. Quia fidelis credit certitudine fidei divinæ Deum esse unum & trinum: Ergo eadem certitudine credit actum, quo id sic credit esse ob revelationem divinam. Nam si fidei divina non crederet, eum actum esse ob divinam revelationem, postea formare, an fidei divinæ esset, & consequenter an obiectum illius esset verum. Sic Scotus in 3. dist. 23. Caiet. & Medina l. 2. question. 12. a. 5. Bannes l. 2. question. 6. artic. 1. Et indicare videtur Paulus 2. Corinth. ultim. dum ait, *Post mei ipsos tentate: si estis in fide, ipsi vos probate.*

¹⁸¹ *Non cognoscit.* Quia non est reuelatum à Deo, me credere fidei divinæ, seu me actum fidei divinæ habere: Ergo non possum fidei divinæ certus esse, me divinæ fidei actum habere: cum non possum fidei divinæ credere nisi id, quod Deus reuelavit. Ita Valent. l. 2. dub. 8. question. 4. punct. 4. Paragraph. 6. Coninch. de fide, d. 14. dub. 14. Torrian. l. 2. disp. 41. dub. 5. Becan. de fide, cap. 11. q. 5. Adamus de fide, q. 6. dub. 5.

¹⁸² Hanc eligo sententiam existimans, Paulum non esse locutum de probatione infallibili fidei divinæ: sed tantum de probatione, quæ inducit prudentem, ac moralem certitudinem. Et quidem ad primæ sententiæ fundamentum fateor fidelem posse physicè formidare, & dubitare, an actus divinæ fidei quos elicit, fidei divinæ sint: & an obiectum eorum sit verum non tamen id posse licitè & absque peccato posse defendere, supposita prudente revelationis divinæ propositione. Sed sufficit de questionibus, quæ magis ad Scholas, quam ad tribunal conscientie spectare non abnego.



CAPVT XVI.

Circa Ecclesiæ propositionem, quo Fidei obiectum indiget.

¹⁸³ *Propono.* Propono, Ecclesiam post Christi Domini aduentum sic definiti. *Est congregatio fidelium, seu eorum qui fidem Dei sub speciali Sacramento signum, & sub eodem capite profitentur.* cap. Ecclesiæ, dist. 1. cap. Firmiter, de summa Trinit. & fide Cathol. Certe Cathecumeni etsi fidem firmatam habeant, non tamen sunt propriè membra. Quia non profitentur fidem sub speciali Sacramento signum: ideo sint ad meritum Ecclesiæ membra;